



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de**

**Leodii, 1685**

§. II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

Canonicâ *Cap. 2.* Subjecti, inquit, esto-  
 „ te omni humanæ creaturæ propter  
 „ Deum; sivè Regi quasi præcellenti,  
 „ sivè Ducibus tanquam ab eo missis, ad  
 „ vindictam malefactorum, laudem ve-  
 „ rò bonorum, quia sic est voluntas Dei.  
 „ Et iterum: Deum timete; Regem ho-  
 „ norificate. Si Deus ipse honoratur in  
 Regibus etiam infidelibus, quanto  
 magis in Christianis Principibus hono-  
 randus, quibus dedit & gladium ul-  
 tionis suæ in vindictam malorum, &  
 sceptrum justitiæ, directionis & æqui-  
 tatis in laudem, & salutem proborum!  
 In his duobus boni, justi, & Pii Re-  
 ges Christiani, Deo, uni, trino, Chri-  
 sto JESU, & Ecclesiæ militanti ser-  
 viunt ut Reges bonos decet: quando  
 illa in bonum subditorum, ac Eccle-  
 siæ auxilium, ad propagationem No-  
 minis JESU, & ad Dei gloriam, illa fa-  
 ciunt, quod non possunt facere nisi  
 Reges potentes & probi.

## §. II.

**H**Æc omnia quæ de Regiâ pote-  
 state dicta sunt: satis manifestè  
 probant quàm magnum sit Dei donum,  
Rex

Rex bonus; Catholicus, Justus, Pius,  
 Potens, Magnanimus, magnificus in  
 sanctitate, qui cum omnia in hoc visi-  
 bili mundo possit facere; nil vult, nil  
 agit nisi quod justum est, quod Eccle-  
 siæ Dei vivi utile, quod Deo glorio-  
 sum: quod suæ præcellenti Regiæ di-  
 gnitati honorificum, quod populis sa-  
 lutare, quod inimicis fidei formidan-  
 dum. Cæterum tam inter Reges an-  
 tiqui populi Dei, quàm inter Christia-  
 nos Principes, paucos reperire est,  
 in quibus, fuit magna sanctitas, ma-  
 gnæ sapientiæ conjuncta, in magnâ  
 potestate, & rerum prosperitate. Re-  
 gius Propheta, fuit quidem vir se-  
 cundum cor Dei, & justus, sed non  
 semper: Salomon Filius ejus, patrem  
 suum superavit sapientiâ, potentiâ &  
 gloriâ, sed cum senuisset depravatum  
 est cor ejus per mulieres alienigenas,  
 quas adamavit nimis, ponens scanda-  
 lum in gloriâ suâ. Roboam verò Fi-  
 lius Salomonis, nec fuit Pius, nec sa-  
 piens, & uno die stultitiâ suâ ferè to-  
 tum regnum patrum suorum perdidit.  
 Josias quidem gubernavit, ad Domi-  
 num cor suum: & in diebus peccato-

M

rum corroboravit pietatem. Sed præter David & Ezechiam, & Jofiam, omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt legem Altissimi Reges Juda: & contempserunt timorem Dei, inquit, Ecclesiasticus *Cap. 49.* At inter Reges Israël, nullus bonus.

Verum quidem est post Regis Regum adventum plures Reges Sanctos, sapientes, potentes, numerari, in Ecclesiâ Catholicâ, quàm in Judaicâ: sed præterquam, quod longè major est numerus Principum Christianorum, quàm fuerit Israëlitarum: quot Sanctos Imperatores, & Reges potentes venerandos, & colendos à fidelibus proponit Romana Ecclesia? cujus est de Sanctis ferre judicium verum, paucos certè admodum, numerat Sanctos Filios, Christianis virtutibus, quàm sceptro gloriosiores, quæ plurimos ab initio passâ est persecutores.

### §. III.

**Q**uatuor memoro, eximiæ sanctitatis Reges, quibus addo duos Principes ab Ecclesiâ Catholicâ, Ro-